

**Dissertatio de
tympanis magicis;
qvam cum consensu
amplissimæ facult.
philo...**

Laurbecchius, Petrus Laurentii,

11 Ae (var.a)



National Library
of Sweden

68
A

Sig
Abo

B. C. D.

DISSERTATIO

DE

TYMPANIS MA-
GICIS;

Quam

Cum Consensu Amplissimæ Facult. Philosophicæ,
In Regiâ Academiâ Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

Viri Plurimum Reverendi atq; Excellentissimi,

DN. M. PETRI LAURBECCHII
Poëscos Professoris Celeberrimi, h. t. Facult.
Phil. Decani Spectabilis, Præceptoris & Promotoris
atatem devenerandi,

Publico ventilandam exercitio proponit

NICOLAUS L. FORZELIUS
Westro-Bothn.

*In Auditorio Maximo, ad diem Septemb.
Anni M. DC.LXXX.*

Impr. à JOH. WALDIO, Reg. Univ. Aboënsi. Typogr.



forzelius 6

Admodum Reverendo in Christo Patri ac Domino,
DN. M. PETRO STEUCHIO,
Per Norlandiam Occidentalem Superintendenti
Eminentissimo, Consistorii Hernosandensis Præ-
suli, & Ecclesiarum, quæ ex Hernodiâ, *Sebrå*
Stigsjö & Högdånger colliguntur, Pastori longe Gravissi-
mo, Mecænati ac Patrono Magno, quovis promptis-
simi obsequii cultu, æternum Deve-
nerando :

Viris Reverendis atque Clarissimis,

DN. MAG. O L A O Graan Præposito & Past. Pithensium.	DN. LAURENTIO Burmann Pastori & Præp. in <i>Bygdå.</i>
DN. M. CHRIST. BOZÆO, Præp. & Pastori in <i>Nordingrå.</i>	DN. M. ERICO PLANTINO, Pastori Umensium.
DN. M. JACOBO EURENIO, Pastori in <i>Nera.</i>	DN. M. ISRAELI DYNESIO, Math. Lect. in R. Gymn. <i>Hern.</i>

Ut & Spectata integritatis Viro Juveni,

DN. MICHAËLI JAPP, Mercatori perindustriò, hoc
tempore *Aboæ* degenti.

*Promotoribus, Evergetis, Fautoribus & amicis meis
omni observantiâ & sinceri cordis affectu colendis.*

Exercitium hoc qualecunq; Acade-
demicum, in gratam beneficiorum re-
cordationem, submissè, officiosè & a-
mice offert, &, ut in benignam partem
accipiant, unice rogat

N. F.





I. N. J.

MEMBRUM PRIMUM,

Brevem Tympani Magici descriptionem, tam nominalem, quàm realem, exhibens.

S. I.



Um intelligentia verborum multum ad cujusque rei cognitionem faciat, & sit, secundum Socratem, eruditionis principium; hinc omnium primò natales vocum, Tympani & Magiæ, spectabimus. Harum prior em quod attinet; est ea origine Græca, diciturq; *τύπανον* pro *τύπανον*, descendens *ἀπὸ τῆς τύπην*, quòd tale organum malleis sive fustibus ligneis verberetur, tundatur & pulsetur. Et, ut varias ejus acceptiones, quas habent; Servius pro vehiculi tecto, Lucretius pro machinâ rotundâ, quæ rotæ similitudinem refert, Plinius pro vasis genere; & cæteras taceâ: accipitur præcipuè pro instrumento musico, ignoti & quasi tonantis soni; cujus diversam figuram, diversosque, pro diversitate gentium, olim & nunc, fuisse usus, evolventi veterum scripta non obscurè patet. Indorum quippe Tympana, teste Suidâ, erant ex palmæ arboris cavato stipite, cui tintinnabula ex orichalco introrsus adaptabant, & os deinde vasis taurino corio occludebant, atque

A

atque

atque id in altum ferebant concutiebantque in acie,
 Tintinnabula igitur, quæ multa & magna intus, incondi-
 tum quendam sonum edebant. Hoc itaque Indi, quibus
 Strabo dicit nullam esse tibiam, nec aliud instrumentum
 musicum, præter Cymbala, Tympana & Crotala, in bello
 utebantur, & quidem ad tempora usque Alexandri (Cur-
 tius lib. 8. n.) Apud populum DEi, cum insignem & solen-
 nem concepissent lætitiã, vel prospera ipsorum & pu-
 blica & privata esset conditio, Tympana sonabant. Unde
 Esaias c. 24. 8: cum ingentem luctum iam jam toti Judææ
 iminentem ostenderet, Tympanorum gaudium cessaturum
 ait. Præcipuus autem horum usus fuit, cum vel Deo lau-
 des, ob singulare aliquod acceptũ beneficium, reportabant,
 vel post egregiam contra hostes obtentam victoriam, vel
 alias choreæ atque saltationes agitabantur; vel denique cum
 luxu diffuentia convivia habebantur celebriora. Inter Nini-
 vitas etiam, cum eorum principes & Magnates se oblectare
 studebant, Tympanorum strepitus audiebatur. Ast veteres
 Romani adeo Tympana averſabantur, ut eorum usum
 non nisi mollibus & effeminatis, in sacrificiis Matris
 Deum, concederent. unde Poëtæ:

*Tympana vos Buxusque vocat Berecynthia Matris
 Idea. Virg: Æn. 9.*

*Ibunt semimares & inania Tympana pulsant,
 Quacunque ingrederis; clamor juvenilis & unã,
 Fæmineaque voces, impulsaque Tympana palmis, (Met.
 Concavaq; ara sonant, longoq; foramine Buxus. Ovid. 4 Fast. 4.*

Huc etiam respexit Plinius in epist. 14. lib. 2. ubi dicit;
 plausus tantum, ac potius sola Cymbala & tympana, illis
 canticis defunt. In nostro seculo Tympana non ignoran-
 tur, quæ sunt militaria, sæq; vel equestria (Sveticè Pufor)
 quo

quorum latus inferius rotundum est, & aut ex ære aut argento; vel pedestria (Trummor) ex ligno cavo facta & pelle clausa, & à parte utràque bacillis pulsata inconditum & horribilem sonum, tonitruum fragorem maximè referentem, emittunt. Qui Tympanorum primus inventor fuerit & auctor, serè incertum est. Existimant quidam Dionysium Bacchum, qui primus apud Indos imperium tenuit, ea invenisse, iisque in bello, tuba nondum repertâ, usum fuisse; licet contendere quis posset, & forsan veriùs, tympanum Originem suam debere posteris Tobal, præsertim cum vers. 21. cap. 4. Gen. hoc videtur indigitare. Sed sit quisquis sit, non tæi nunc est instituti de Tympanis agere hætenus recensitis: sed est & aliud Tympani genus, Ignobile, sordidum & incultum, quod Magicum dicitur (nobis Trolltrumma sive Spåtrumma/Lapponibus verò Kannus & Quodbas) cuius nunc mentionem facere constitui.

§. II. Alteram autem vocem quod concernit, sentiunt nonnulli eam esse Persicam, & Magiam sic dictam fuisse à magis, Ægyptiorum, Chaldæorum & Persarum sapientibus: quod etenim nobis Theologia & Philosophia, ipsis Magia dicebatur.]

Alij Græcam esse putant, à voce *μείγας*; quòd magi magnâ virtute, auctoritate & dignitate, alios superent: Quomodo Simonem Magum, Act. c. 8: 9. se magnum appellasse contendunt. quæ tamen allusio potius ad rem est, quàm vera vocis originatio.

Alij verò eam ad Sanctam referunt lingvam, & deducunt, vel à Radice מקד meditatus est, ex quâ, præposito ei מ ex literis Heemanticis, apud Persas meditationi rerum humanarum & divinarum dediti, מקדמ


dicebantur ; vel à *MD* quod dissolvere significat, & magorum, qui res arcanas & cognitu difficilioresexplicare tenentur, officium innuit. Ita enim summus ille opifex naturam condidit, ut multa in eâ continerentur miranda, quorum causâ non nisi adcurato Philosophiæ seu Magiæ studio cognoscuntur. Et licet hebetata mentis acies non ita in altum penetret, ut totius naturæ vim perspicere possit, proindeque multa nobis abscondita, dubia & incerta, deprehendamus: non pauca tamen, quæ in pulcherrimo hujus mundi Theatro occulta latent, in apertum, ipsius naturæ contemplatione sive magiæ beneficio, producuntur, nosque omnipotentis divinæ admonent. Verùm enim vero, quemadmodum proborum parentum filij adeo sæpissimè degenerant, ut immanium potius bestiarum sequi vitam, quàm majorum suorum vestigia premere, videantur; ita etiam vocabulùm hoc Magiæ, quod cum multis aliis, usurpatum de re præclarâ, olim in laude ponebatur, tantum à suis primis natalibus discesserat, ut nunc etiam infamis notæ sit, & detestationis plenum, ob quorundam hujus cognitionis cultorum insolentiam, qui eam opere & virtute diaboli sibi adquisiverunt, ut aliquid supra naturam facere viderentur.

Hinc colligi potest, Magiam accipi, vel in sensu bono, vel malo. *Priori modo* sumpta, consideratur vel *latè*, prout integram divinarum & Philosophicarum rerum notitiam comprehendit; vel *strictè*, ut scientiam tantùm rerum Physicarum menti sistit humanæ. *Posteriori verò sensu*, denotat artem illam degenerem, & reprobam, quæ aliàs illicita, prohibita, Dæmoniacâ, & à quibusdam ars præternaturalis dicitur. hæcque postrema vocis acceptio est huius loci. Quibus ita expositis, propiùs ad ipsam Definitionem accessum facimus.

§. III. Tympanum Magicum est instrumentum ex ligno excavatum, ab unâ parte planum, pelle clausum, & intus vacuum, quod malleo, ex cornu rangiferino facto, pulsatur, ad evocândos genios familiares.

Priusquam ad hujus definitionis ulteriorem illustrationem descendamus, non à nostro instituto alienum videtur, etiam pauca de huius instrumenti auctore, gente nimirum Laponicâ, referre. Sunt Lappones ex Fennis oriundi, staturâ breves, utpote non excedentes tres cubitos, justâ tamen omnium membrorum proportione, omnesque serè macilenti, mirâ corporis levitate gaudent. Rufi & lippientes ipsis sunt oculi, capilli nigri & spissi, faciei quidem color varius, plerumque tamen subrubicundus. Robustiores non sunt cæteris hominibus, ut quidam dicunt, licet sint promptiores, agiliores, & mirâ pedum celeritate polleant. Ingenio & memoriâ satis vigent, variaque officia exercent. Agros non colunt, nec pecora. præter suos rangiferos, quibus etiam pro equis utuntur, alunt. Ferarum carnibus, piscibus in sole duratis, & caseis ex rangiferino lacte factis, ut & lacte ipso vescuntur. Nulla illis, ut cæteris hominibus, certa domus est, tectum aut sedes; gregem suum semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis, Tuguria, vel panno laneo vilissimo tecta, vel ex nudis stipitibus facta, pro domibus sunt. Et quamvis omnes suas possessiones sine tecti munimento habeant, furta tamen apud illos serè ignorantur. Naturâ timidi sunt, & diræ superstitioni plerumque dediti, quæ licet hisce temporibus Regum Sveciæ Daniæque Zelo, ex parte magnâ extirpata sit, plurimi tamen eandem clam in suis latebris fovent; paulatim etenim adhuc Tympana habentes in lucem producuntur. Tympanum autem facientes, ex trun-

eo magnæ alicuius pini, abietis aut betulæ, peculiari loco
 natæ, adque solis se vertentis cursum, partem cubitalem
 abscissam per medium findunt & excavant; cui, quâ pla-
 na est, claviculis cupreis vel nervis rangiferinis pellem u-
 nicam affigunt, quæ Tympani faciem adversam præbet. Ea
 verò, quæ convexa, manubriū quo tenetur, & partem inferio-
 rem sive aversâ habet. reliqua, quæ à latere est, pellē intendit,
 & figurâ ferme representat ovalē. Pellis verò seu membrana,
 Deorum Lapponum, Thoronis, Storjunckari, horum
 famulorum, præterea Christi ejusque quorundam Apo-
 stolorum, Solis, Lunæ, stellarum, regionum certarum, &
 variorum animalium, picturis adornata est. Sic enim so-
 nant verba Dn. Samuelis Rheen, ante decennium in
 Lapponiâ pastoris, à Beato Scheff: in linguam latinam trans-
 lata: *Tympano superinducunt pellem, in quâ pingunt colore ex
 alui cortice figuras varias. In medio ferè Tympani lineam ducunt*



*transversam, unam & alteram,
 in eâ formant Deos suos, quos præ
 cateris religiosè colunt, ut Tho-
 ronem caterorum principem (a)
 cum famulis suis (b) item stor-
 juncharum (c) cum suis (d) atque
 hi in supremâ lineâ collocantur.
 Post ducitur inferior alia supe-
 riori parallela, sed tantum ad
 Tympani dimidium; in eâ Christi
 est imago (e) cum aliquibus Apo-
 stolis (h) Quicquid supra hasce
 lineas depingitur, aves signifi-
 care debet (e) item stellas (t) atq;
 lunam; infra eas in medio Tym-
 pani*

pani formatur Sol, ut planetarum medius, (n) cui imponunt fasci-
culum annulorum arcorum, quoties pulsare tympanum debent.
Iñfra solem pingunt res terrenas & animantia varia, ut ursos (i)
lupos (k) Rangiferos (l) lutras, Vulpes (p) serpentes, (i) tum pa-
ludes, lacus (o) fluvios, & id genus. Cæterum etiam obser-
vandum est, & ipsa Tympana magnitudine differre, & non
esse picturas eorum omnes ejusdem generis, sed variare,
tam pro Lapponiæ diversitate regionum, quàm terrarum
& civitatum, quibus hæ adjacent. Quod indicant sequen-
tia verba M. Joh. Tornæi ex Lapponiâ Scheff.

Omnes figura sunt divisa in certas regiones, quales præcipuè sunt
tres. Prima significat Norlandiam, pluresque regiones Suecia, atque
locatur in parte meridionali Tympani, distincta à cæteris lineâ quâ-
dam, continetque potissimum urbem maximè vicinam, ubi commer-
cia exercere sua quotannis solent; ut E. G. in Tympani Torna aut
Kiemi fabricatis, depicta est urbs Torna cum Templo, sacerdote,
præfecto lapponum aliisque, quibus cum eis est negotium. Item
via, qua à Tornâ tendit ad ipsos, in quâ cernunt, quando ad ipsos
sunt venturus sacerdos, Præfectus, vel quis alius, cum rebus cæteris,
qua ibi geruntur. A parte septentrionali picta est Norvagia,
cum ijs, qua in ipsâ continentur. In medio verò harum partium
duarum ipsa est Lapponia, qua partem maximam Tympani com-
plectitur. In eâ varia sunt bestia, qua apud ipsos reperiuntur.
Siant ibi picta agmina Rangiferorum Sylvestrium, ursi, vulpes,
lupi, feraque omnis generis, ad significandum, an & ubi possint inve-
niri. Si Rangifer Domesticus amissus fuerit, ubi sit requirendus.
Rangiferorum vituli num sint habituri vitam. Piscatura cum re-
ti num prospera sit futura; Egrotus num sit recepturus valetudi-
nem nec ne, Gravida num facile sit habitura puerperium; utrum
mors hunc illumque nec ne, tali aliove modo, sit ablatura: aliaque
omnia, de quibus sunt solliciti. Tympani membranæ in hunc
modum



modum confectæ & ad-
ornatæ, anulum, vel
simplicem, vel quendam
annulorum fasciculum,
zreæ, orichaceæ, ar-
gentæ, ferreæ aut alius
alicujus vilis materiæ, in-
dicem imponunt, quem
extenta apud ignem pel-
lis, & malleo pulsata, huc
atque illuc movet.


Index autem (qui Lap-
ponibus Arpa) ab indi-
cando dicitur, quòd pi-
ctas in tympano figuras
monstrando, scitu ne-
cessaria indicet. Malleus,
quo tympanum pulsatur,
non quidem propter so-
ni svavitatem, quem no-
tabilem non edit, sed pro-
pter motionem annulo-
rum, qui membranz in-
cumbant, est non ex fer-
ro, sed rangiferino, ut
dictum est, cornu, cujus
truncus pro manubrio
est, & summitas bifur-
ca speciem ferè Latino-
rum T præbet,

§. IV. Hæc sua instrumenta magica Lappones non parvi faciunt, sed pelle involuta servant, & in tantâ religione habent, ut ea nulli foeminae ex Ephelis egressæ, aut attingendi, aut viam, quâ in demigrationibus ducta sunt, nisi post tertium tandem diem, sequendi data sit potestas; perhibentes, aliter si fieret, non sine periculo valetudinis aut etiam vitæ procedere. Insignem etenim vim suis tribuunt Tympanis, ijs namque mirabiles & stupendas res efficere se credunt: utpote rerum earum, quæ in procul distitis regionibus geruntur, exactam cognitionem habere; felices vel infelices suorum negotiorum eventus, suam & Rangiferorum valetudinem, cognoscere; Quæ sacrificia Diis ipsorum placent, & quod genus animantis cuique mactandum, explorare; morbos arte magicâ immisos sanare, aliis damnum inferre, cæteraq; hujus farinae plura. (α) Scire cupientes, quæ res geruntur in peregrinis terris, vel statum tuorum amicorum, qui procul absunt, tympanum vel ipsimet, si artem callent, adhibere solent, vel alium quendam, hujus negotii peritum, cum munusculo adeunt, qui Tympanum arripit, unâ cum præsentibus in genua pro-



cumbit, indicem Membranzæ Tympani bene distentæ juxta solis figuram impostum, exiguâ primò, mox acriori pullatione, movere incipit, & carmen suum (Joufe dictum) intentiori voce canere. Pulsatorem hunc comites ejus, viri pariter ac foeminae, illi altiori, hæc submissiori voce imitantur,

& suas cantilenas, quas *Ditura* appellant, addunt, in quibus, quæ ad rei quæsitæ cognitionem faciunt, utpote loca, unde quid scire desiderant, nominare consuevere. Cum aliquandiu sic canendo pulsarat, adeoq; interdum gravi-



ter, ut sudor è facie totoq; corpore fluat, subito in terram, animi deliquium patienti similis, truci adspèctû atque horribili, procidit, caput plerumque Tympano tegens. Reliqui verò suâ cantione pergunt, perficiendî negotii eum quasi admonentes, & diligenter observant, nè quid jacentem tangat: quod ni facerent, suppressus spiritus nunquam in relicta membra rediret. Cum unam alteramve horam, pro conficiendî itineris magnitudine, quasi alto sopitus somno jacuerat, sponte tandem evigilat, legatione quasi benè expeditâ surgit, quæsitâ narrare occipit, & ut narrationi fidem faciat, certum aliquod indicium testimonii loco secum adfert. (β) Exploranti susceptorum negotiorum exitum, hominum brutorumq; valetudinem, annuli figuræ solis in Tympano impositi & pulsatione moti, circumeundo demonstrant, scilicet dextrorsum felicem bonumq;, sinistrorsum infelicem malumq;. (γ) Etiam in Sacrificiis, quæ certis anni temporibus, præcipuè autu-
monali;

mbali, inter festum Matthæi & Michaëlis, cum Rangiferos
mares mactant. Diis suis Thoronî, Storiuncharo & Soli
offerunt, magnum esse Tympani usum multi asserunt.
Tympanum quippè, cui horum Numinum Sacrificium
debetur, demonstrabit, & quidem sequenti modo: Ani-
mal quodcumq; sexus masculini sacrificio destinatum, post
tergum sui tugurii religant (quò nullæ fæminæ, sine ma-
gno alicujus infortunii periculo, facillè accedere possunt)
pilumq; ex parte colli ejus inferiori evulsum ad indicem
tympani membranæ impositum revinciunt: Deinde tym-
panista, quem magno in honore habent, tympanizare
incipit, adhibitâ cantione; præsentem quoq;, mares pariter
ac fæminæ, primò Storiuncharo hostiam offerentes unâ qua-
si cantant voce: Maide siâl taf tun stuorra passe seide, etc.
Quid ais magne sancteque Deus? accipisne victimam,
quam immolare tibi destinavi? Si igitur index, accedens
ad Storiunckari imaginem, steterit immobilis, victima i-
psi solenni ritu immolatur; sin verò ipsi displicuerit, &
transilierit, eam Thoronî vel Soli consimili modo exhi-
bent, eiq;, cui placet, litant. (d) Superest ultimus tym-
pani usus, concernens morbos hyperphysicos. In quorum
curatione hoc saltem singulare occurrit, quòd ægrotus
tympanistæ duos annulos, argenteum unum, alterum o-
richalceum, quos circum dextrum pulsantis brachium ligat,
dare teneatur, qui ipsi præmio, & indici ornamento erunt;
in cæteris modus idem cum priori. Tympanista deinde,
de numine placando, sacrificio, pulsatione suâ certus factus,
peculiare aliquod animal certo alicui Storiunckaro, in
hâc vel in illâ collocato rupe, statim vel ad certum aliquod
tempus recepturo valetudinem immolandum imperat,
Hunc & priores tympani usus existimant multi Lappones

honestos esse & licitos, cum in proximi vergant utilitatem & commodum, neq; hos artifices in eorum esse numero volunt, qui suis tympanis maleficia exercent, cujus generis homunciones etiam in Lapponiâ reperiuntur. Sed cum nemo eorum multis consciis hoc facere ausus sit, ritus, gestus & verba, quibus ad hunc tympani usum utuntur, nos sine damno latent. Magicam suam artis periti jam recensitam, & plures alias, etiam sine tympano exercent. Cuius notum est, quosdam tantos, operâ Diaboli, esse artifices, ut furto ablata possessoribus suis reddere, furisq; imaginem in vino adusto, ipsis ad hoc negotium dato, se posse videre gloriantur. Memorat etiam Zeiglerus, Lappones olim ventos excitare potuisse, ubi dicit: Magicos tres nodos nectunt, pendentés à loro: ubi unum solverint, cient ventos tolerabiles; ubi alterum, vehementiores; ubi tertium, movent apertam tempestatem. Quod forsan de Finlappis est intelligendum, qui etiam navem in medio cursu retinere dicuntur. Sed hæc sufficiat attulisse de Lapponum artibus Magicis, præcipuè quas operâ tympani expediunt. Nè a. nudam tympani Magici hic videar adduxisse descriptionem, quasdam Quæstiones huic materiæ affines ventilabit Sequens

MEMBRUM SECUNDUM.

QUÆSTIO I.

Quæ Magia origo sit?

DE infamis Magiæ initiis varia variè referunt. Alii Zalmoxidem, qui inter Gothos natus, Pythagoram servus & Discipulus in Ægyptum sequebatur, & in illicitas artes pronus erat, eam excogitasse, sive potius ex superstitiosis Ægyptiis didicisse atq; propagasse, volunt. Alii

Alii verò Mizraim, Patrem Ægyptiorum, detestandam hanc disciplinam ab impio suo parte Chamo accepisse statuunt, quem eam ante & post Diluuium exercuisse ajunt, ideoquè ab eius seculi hominibus, primum magicæ artis inventorem admirantibus, Zoroastrem vocitatum perhibent. de cuius natalitiis & morte mirabilia narrant Scriptores, eum sc. eodem die, quo in lucem editus est, risisse, cerebrumque ipsi ita palpasse, ut impositam repelleret manum, futuræ scientiæ vel dementiæ præsagium. Tandem, cum multos complevisset annos, ut Dæmonem suum importuniùs fatigabat, igne succensum concrematum esse, cineres deniquè eius, tanquam fulminei ictus reliquias, à primò deceptis in Persidem deportatas fuisse, ut ibi, ceu Divinus è cœlo lapsus ignis, diligenti curâ servarentur; licet Justinus, & hunc sequuti, Zoroastrem à Nino Assyriorû rege, ceu Bactrianorum Regem, victum atque occisum esse dicant. Quidam damnatæ hujus artis initium ad tempora usque Jared referunt, quæ incidunt in seculum mundi octavum, quando ajunt exortos esse viros ex filiis Caini malæ artis inventores, iniquos & omni nequitia plenos. Ego vero ejus inventionem altiùs repetens, nec in Samolide, nec in Zoroastre, & ejus posteris consisto, sed primum auctorem inquirens, antiquo illi serpenti, Diabolo, omnis malitiæ fonti, hanc etiam abominabilem artem originem suam debere, adfirmare non dubito; interim non negans, ipsum prænomînatis & certis quibusdam aliis mancipiis, ad ejus propagatiouem, tanquam peculiari- bus instrumentis, usum fuisse, quem certo certius est, ceu simiam, opera Dei in erigêdo & stabiliendo suo Regno imitari. Et quemadmodum Deus, per sanctos Prophetas & Apostolos, voluntatem suam humano generi patefecit, & verbum

atque Sacramenta veræ suæ Ecclesiæ tradidit, ut hisce ve-
lut signis conspicua creatori suo adhærescat & seruiat; Ita
etiam tenebrarum princeps Satanus, per sua mancipia, ma-
gos & sceleratos, certis adhibitis Characteribus, verbis si-
gnisq; aliis, homines alloquitur & decipit, ut indies pro-
fanatio nominis divini crescat, & suum imperium augeatur.

Hinc itaq; liquet, totius fabulæ & lusus præstigioli, quem
profitentur Magi, causam effectricem esse Diabolû. Causam
tantum esse sine quâ non, indulgentiâ & permissionem Dei,
qui Sanctissimi sui foederis violatores justissimo suo iudicio
deserit, ac præstigiatorum patri captandos atque ludifican-
dos relinquit. Causas verò instrumentales, Præstigiato-
res, Nectromanticos, Hariolos, incantatores, veneficos, cu-
ratores morborum hyperphysicorum, Præstigiolos, Lami-
as, & ejusmodi homunciones plures; In quorum castra et-
iam abeunt sortilegi, qui licet apertum cum Satanâ pa-
ctum, ut reliqui, non habeant, vix tamen ejus laqueos ef-
fugere possunt. Illos quidem certum est, ad tale ministe-
rium, ob varias apparentes, vel commoditates, vel incom-
moditates, adduci: quorum alios decipit immodica scien-
di cupiditas, alios ambitio vel avaritia; quo nomine ars
magica etiam illustribus quibusdam viris exprobratur; a-
lios seducit studium nocendi proximo, ut maleficos; qui
in fermento, ut ajunt, semper jacent; alios simplicitas &
diffidentia de curâ & sustentatione divinâ, in retia Diaboli
alliciunt. Quare etiam ex Melancholiâ tristes, & mulier-
culæ imprudentes atque credulæ, in talem scenam frequen-
tissimè introducuntur. Hos & consimiles stimulos ac-
cendit in miserorum hominum animis tortor ille infernalis,
& accensis illicito modo satisfacere ivadet. Hi velut ri-
vuli à Satanâ pullulantes, quidquid superstitionum in mun-
do de-

do deprehenditur, rigant. Hæc tot vanitarum, quibus refertus est orbis terrarum, origo. Hinc misellus homo, ut ratam & firmam à Dæmone, Angelum identidem lucis mentiente, assistentiam habeat, si quæ fides impostori esse potest, cum eo pactiones inquit abominabiles, quæ consistunt in mutuâ obligatione, quâ Diabolus homini suam operam, homo Diabolo seipsum, vel aliud aliquid, vicissim promittit; modus etenim fœderis ineundi non unus & idem est. Præcipui & maximè detestabilis mentionem facit in tractatu de Magis Godelmannus, ubi inquit: *Pacti porrò & confœderationis ipsius modus, ex magorum confessione, talis esse perhibetur, ut quicumq; se Satana dedere velit, primum (quod dictu horrendum est) Deo conditori suo renunciât, fœdus cum eo in baptismo factum rescindat, filium Dei abneget, ejus beneficia deserat, nomen blasphemis, convitiis & contumeliâ afficiat, ipsam Diabolum solum adoret, omnemq; spem & fiduciam in ipsum collocet, imperata sedulò exequatur, rebus à Deo creatis non nisi ad noxam & perniciem hominum utatur, postremò fato suo functus corpus & animam Diabolo destinet: idq; alij per Dæmonis familiaris nomen jurejurando, alij chirographo sanguine proprio scripto, polliceri coguntur. Econtra Diabolus hisce suis mancipiis pollicetur, se vocatum ab ipsis, quovis tempore, præstò futurum, consilia collaturum, omnibus in rebus & maleficiis opem laturum, ad interrogata quacunq; responsurum, ex omnibus periculo & carceribus liberaturum, opes, divitias, voluptates, sine ipsorum labore, subministraturum, denique se totum eorum voluntati, veluti mancipium, subjecturum, & imperata studiosè exsequuturum. Peractâ deinde hæc nefariâ confœderatione, discipulos suos vel ipse per se, vel per veteranos magos & libros magicorum edocet initia artis magicæ; utpote solennes mysterii sui ceremonias instituire, monstruosos characteres depin-*

pingere; lapides, metalla, terras, rotarum & furcarum, funicularumque, quibus affecti sunt fontes, particulas, item ossa & pilos mortuorum colligere, eaque, ut vim singularem habeant & efficaciam, variorum verborum admurmuratione, variis rebus applicare.

Hic sciendum est, non omnes superstitioni deditos pactum cum Satanâ inire directum & expressum, uti hic describitur; sed quosdam foedus cum eo habere tacitum & implicitum, quo obligantur illi, qui mediis sive signis superstitionis, à Satanâ præscriptis, Magisque traditis, sine pactione cum eo ulteriori, vel ex destinato consilio, vel ex ignorantia utuntur. Quod tamen hos non excusabit, cum Dæmon hunc in finem eos characteres & verba dicitur, ut, quicumque illa usurpat, tacite ipsum invocare, & per imprudentiam certis quibusdam Sacramentis sese dæmonibus obstringere cogatur.

QUÆSTIO II.

An figuris & verbis aliqua vis & efficacia sit adscribenda? & per consequens, an in morborum sanatione, vel efficiendis aliis rebus, sine pacti cum Satanâ suspitione, adhiberi possint?

HAbuit seculum superius figurarum, Characterum, verborum & sigillorum assertores; inter alios Theophastrum Paracellsum, qui non veritus fuit affirmare, naturam vires suas in verba, characteres & sigilla, imponere: sive, quod idem est, figuris, sub certo cœli statu vel adspectu sculptis, magnam inesse vim & efficaciam, quam de constellationum viribus imbibunt. Nec Magnetici & Characteristici Philosophi nostro seculo defuerunt, qui pro suâ & Theophrasti sententiis stabiliedis, adducunt Gygen Lydiæ Regem, qui annulo suo lapidem capite draconis exemptum inclu-

incluserat, ut se redderet invisibilem, ut Rege cum adstantibus occiso, impunè cum Reginâ concumberet. Item quod scribit Josephus de antiquit. Judaicis: C. 2. l. 8. inquit: *Incantationes composuit (Salomon) quibus morbi pelluntur; & conjurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes daemones ita fugantur, ut in posterum nunquam reverti audeant: atq; hoc sanationis genus apud nostrates nunc usq; plurimum pollet. Vidi ex popularibus meis quendam Eleazarum, in praesentiâ Vespasiani & filiorum, & tribunorum reliquorumq; militum, multos arreptitios percuratorem. Modus verò curationis fuit hic. Admoto naribus Daemoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radice species à Salomone indicata, ad ejus olfactum per nasum extrahabatur Daemonium, & collapsò mox homine, adjurabat id, nè amplius rediret; Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans. Dicunt etiam, nominibus ac verbis Divinis & Barbaris singularem inesse virtutem, cum vel nuda recitentur, vel cum certis conjungantur figuris.*

Sicenim habet in occultâ suâ Philosophiâ Theophrastus, quem deridet Godelmannus in tractatu suo, qui est de Magis rectè cognoscendis & puniendis. *Præcipuè, inquit idem Theophrastus, characteres inter alios plurimos, duo tantum veri & præcipui, quorum primus constat ex duobus trigonis, super se invicem ita depictis, ut sexagonum constituant, & singulorum angulorum spatiis inscribere iubet unam ex literis Nominis Divini Hexagrammati. Alterum dicit esse priori potentiorum & efficaciorum, & pentagonon quinque angulorum acutorum, in quorum spatia adscribendas docet literas ineffabilis nominis Divini. Aut singulis spatiis inscribendas docet 5. Syllabas vocabuli Te-Tra-Gram-ma-ton. Ac subjungit, olim Israelitas virtute duorum horum characterum insignia miracula percipisse,*

fecisse, & non reperiri in ullis magorum libris characteres efficaciores hisce duobus. Dicunt etiam, singulis planetis & asterismis figuras correspondentes ita depingi posse, ut singularem adipiscantur virtutem.

Hæc quidem & innumera hujus farinae alia profitentur Philosophiæ characteristicæ cultores, ast nullo adhuc, quod erat probandum, solido argumento probarunt, sc. figuras, characteres, verba & sigilla, vim & efficaciam, vel propriam & nativam habere, quod impossibile, vel de viribus stellarum participare, licet sub certo formentur sydere per verticem trajiciente, ut ejus virtutibus per radios rectos rectissimè tangantur, sive sub certo quodam planetarum in potenti loco figuræ cœlestis constituto, & essentiali dignitate prædito, sive denique plures ejusdem naturæ in eodem dodecatemorio associantur. Concedo quidem influxum, quem iactant, Syderum in hæcce interiora; sed characteres & res arte factas virium ejus cœlitus demissarum capaces esse, penitus nego, & quidem sequentibus ductus argumentis: 1. Duo omnino sunt in totâ rerum naturâ mutationum seu alterationum definita principia, forma agens, & materia seu quatuor Elementa. Cœlum autem causa universalis est. & anima quidem mutat res & generat per insitum animato nativum calorem; Elementa per primas, quibus prædita sunt, qualitates. Ex his verò quæ fluunt quatuor temperamenta, causa sunt alterationis. Quod si verum, ut omnino est, unde, quælo, imaginû & verborû vires? Ex constellationibus, inquirunt. Ast cum actio recipiatur, non per modum agentis, sed per conditionem patientis, quam conditionem habent characteres & imagines, quibus nullum inest alterationis vel principium recipiens impressiones syderum? aurum certè non
aliam

aliam habet vim certis figuris insignitum, quàm aurum non sic formatum. Iamò corpora caelestia sunt materiata, proindeque nullo modo characteribus, rebus materiâ destitutis, suas vires tribuere possunt. 2. Si figuræ peculiarem aliquam virtutem impetrant ab astris, fit hoc, vel ob earum cum his Sympathiam vel Antipathiam. sed non ob hanc, juxta propriam illorum sententiam; & si ob illam, erit quædam figurarum cùm Syderibus convenientia, vel ratione essentiæ, qualitatum, vel ipsius figuræ. Sed non ratione essentiæ, quia hæc substantiæ, illæ accidentiæ. Multò minùs ratione qualitatum; quibus hæc gaudent, illæ destituuntur. Nec ratione figuræ, cum nulla inter figuram & Sydus detur similitudo. Et licet daretur, hanc tamen non statim comitatur Sympathia mutua, naturalium corporû & artificialiû. Verba quod attinet, sunt ea, vel non significantia, quæ monstrosa & superstitiosis propria. vel significantia, bona vel mala, quæ omnib9 cõmunia. utraq; figuris impressa virtutẽ planè nullam insitam habent; ore verò prolata aliquam, ast non per se naturalẽ, sed vel per assistentiam superiorem, Deum sc. vel angelû, bonum aut malum; vel per accidens, ratione sive soni vehementioris, sive significationis. Hoc modo res verbis significatæ extendunt imaginationem, hæc vicissim pro conceptis affectibus movet potentias naturales, quæ in suo corpore diversimodè spiritus & humores disponunt, & sic fluens inde effectus causam, non naturalem, sed moralem, verba agnoscit, illo modo sonus inopinatus auribus haustus, potest vel audiendi terrorem incutere, vel ipsam surditatem inferre, cum vel spiritus, ob improporionatum sibi æra, qui importunè aures & cerebrum perstringit, illisionem & dissipationem violentam patiuntur, vel auris tympanum subitaneo & violento im-

pulsu aëris rumpitur; Vel denique vis imaginativa, terribilem sonum fugiendum svadens, movendo humores in corpore, alterationem excitat insignem. Verùm imaginationes posse in diversum suppositum, & verba in res ratione, imò ipsâ vitâ, destitutas operari, atque extra suam sphæram activitatis, ubi exaudiri non possunt, agere, est quàm falsissimum; cum nec ulla his insit vis efficiendi naturalis, nec possint illæ à suo subjecto separari, certum itaque est, magos nihil quidquam per characteres, sigilla, figuras & verba, efficere posse, nisi cum fiant Sacramenta Diaboli, qui hisce, velut Stigmatibus, mancipia sua sibi addicta habet, ut per eâ hominum animos & mentes perstringat, illaqueet, eosq; secum in gehennâ perdat, quasi astutus ille Spiritus nulla aliâ ratione, nisi per ejusmodi superstitiones res & observationes, nocere aut juvare posset. Nec Theophrasti Paracelsi auctoritatem moror, quem famosissimum fuisse magum nemo ignorat, imò in Deum & ejus ministros blasphemum, cujus rei ipsum habemus testem in suis scriptis à variis Auctoribus citatis. Non enim dubitat in lib. 5. de morbis invis. affirmare, artem Diabolicam esse usurpandam, sed Diabolum relinquendum, & si per characteres hominibus aliquid boni contingit, eodem cum planetis loco habendos. Imò etiam si Diaboli forent, tamen habendas esse quasi pyxides ex pharmacopolio. Item, in libro de morbo caduco, nihil referre scribit, Deus an Diabolus, Angeli vel immundi Spiritus ægro opem ferant, modò morbus sanetur. Consulit alicubi medico, ut discat magiam, quâ etiam Johannem Evangelistam, Moesen, Aaronem, & omnes prophetas, imbutos fuisse asserit. Sed absit, aliquem adeo rationis esse expertem, ut auctoritate Paracelsi cultoris Magiæ Dæmoniacæ ni-

cæ nitatur, & aliquid auxilii à Satanâ Satanæve ministris petendum esse existimet; nisi velit fidem salvificam excutere, Dei benignissimi dilectionem deponere, timorem exuere, ordinationem salutis contemnere, promissionem Divinam in dubium vocare, patientiam, singulare Christianorum decus, abjicere, & beneficium atq; Salutem ab infensissimo sibi hoste, tortore infernali, sperare. Quod abhorrendum & detestationis plenum foret.

Adducta superius Exempla nihil aliud probant, nisi concursum Dæmonis cum suis mancipiis, per certos, quo tradidit eis, ritus diversimodè operantis. Sic annulus Gygis, palâ in palmam conversâ, non naturalem aliquam naturus est virtutem; Sed Dæmon, hoc velut signo, a mago sollicitatus capi se simulavit, & comparuit, ut genio ejus se accommodaret & postulata efficeret. Locum ex Josepho citatum variè varii explicant. quidam Salomonem Magiæ, non fallaci illi, quæ Goëtia, & in invocatione Dæmonum consistit, verùm alteri Sacrationis, quæ Græcis Theurgia dicitur, & Sacro-Sanctis nominibus atq; Dei bonorumque Angelorum auxilii imploratione peragitur, addictum fuisse dicunt; eum tamen priorem non ignorasse, ut eò feliciùs illius detegeret impietatem. Verùm si incantationibus Rex ille Sapientissimus in Dæmonibus profligandis usus fuisset, & opem Angelorum implorasset, non facilè ab occulto cum Satanâ pacto liberari potest. Alii non ita interpretantur, sed potuisse, ajunt, Salomonem, adhuc pium, instinctu Divino, certas quasdam formulas, in quibus nihil magicum erat, ad fugandos Dæmones componere. Exorcismos verò, si quos conscripserit, conscripisse Idololatram. Alii forsan veriùs fatentur, Josephum Judæum, Vespasianum Ethnicum, & Eleazarum Hebræum,

præstigiis Diaboli, qui se radice annuli atque verborum
virtute pelli simulabat, fuisse illusos, Dæmonemque suâ
sponte, non autem coactè, reliquisse unum, ut multos de-
ciperet incantos, qui non ad Deum, unicum Satanæ expul-
sorem, confugiunt, sed in rebus magicis & supersticiosiis
Salutem quærunt, & omnem suam spem ponunt. Et, ut
ejus fraus non detegeretur, Salomoni artem tribuisse; pro-
indeq; exorcismos, qui regi huic tribuuntur, suppositios
esse & spurios. Reliqua Theophrasti præcepta magica,
superiùs adducta, Responsum non merentur; Cum ni-
hil nisi diras superstitiones & sacrilegium detestabile red-
leant. Quod, quæso, Sacrilegium gravius & detestabilius,
quàm in amuletis nominibus Dei abuti; Sanctis ejus ver-
bis & Sacramentis vim inferre, torquendo ea in alium,
quàm quem tradit Spiritus Sanctus genuinum usum, &
Symbola principis tenebrarum facere, vocabulis Supersti-
tiosis, notis & characteribus miscendo, sive aliàs in mor-
borum Sanatione temerè recitando. Sed objiciatur no-
bis 1. Sap. 16: v. 12. Non herba, non malagma, sed ser-
mo tuus, Domine, sanavit eos: Et D. Paulus, qui docet
nos omnes, nostras actiones in nomine Jesu facere & au-
spicari debere. ad quæ breviter Respondeo, distinguendo
inter morbum Spiritualem, qui consistit in sauciata con-
scientiâ, & non nisi verbo Divino & Evangelicis promissi-
onibus sanatur, cujus etiam hic mentionem facit locus citatus:
Et corporalem, qui ex conturbatione fluit Spirituum &
pravâ dispositione humorum. Et ad hunc morbum
curandum, per characteres aut imagines, verbum Dei no-
bis non est index, sed ut ex illo voluntatem Dei erga nos
agnoscamus, ei credamus, & per illud salvemur: ideoque
nomina divina in sacris literis nobis sunt patefacta, ut Deum
in o.

um in omni necessitate adoremus, ipsi gratias agamus & laudemus, quod etiam vult D. Paulus. 2. Dicunt Magos & supersticiosos, qui non ad damnum & perniciem proximi, sed ad ejusdem salutem, arte suâ utuntur, nihil contra Divinum præceptum facere, multisque horum auxilia saluti fuisse, proindeque in Christianismo, contra quem Satanæ *μυελοεχνης* omnes suos dolos tendit, non solum tolerandos, sed apprimè necessarios esse putandos, Verùm sciendum est, non facienda esse mala, ut inde veniant bona. non committendum est furtum, quia præceptum est Eleemosynas dare: procederet, si medium esset licitum & à Deo monstratum atque concessum; ast iam legibus tam divinis, quàm piorum Imperatorum, & conciliorum solennium decretis, cuilibet verum nomen Christianum profitenti severissimè prohibitum est & interdictum. Accedit & hoc, neminem, qui morbo laborat, solere adeò esse inconsideratum, ut ab infensissimo sibi hoste, qui omnem pietatem & candorem exuerat, potionem oblatam haurire audeat. Quem, quæso, pium usque eò decet venire dementiæ, ut, quod diluerat totius generis humani perpetuus hostis & homicida, bibere sustineat. Hic etenim in restituendâ valetudine semper lucro inhiat, proindeque morbum, quo unum liberat, in alium transmittit, imò in ipsum magum. Si sanat corpus, perdit animam. Et ad illud, quod quibusdam ejusmodi sanatio successisse dicatur (licet vix unus è decem, qui remedia magorum tentarunt, auxilium verum senserint) dico, etiam fures lautius sæpenumero reliquis hominibus vivere, nec propterea furtum esse probandum.

QUÆSTIO III.

An & quanta Musica insit virtus ?

EX superioris quæstionis occasione, non possum quin etiam pauca, rudi Minervâ, de Musicâ addam, cujus suavitate non tantùm bruta & homines, verùm & inanimata atq; spiritus moveri, corpora q; morbis obnoxia sanari, multi sibi persvadent. Inanimatorum ex Musicâ commotionem probant. 1. Exemplo Orphei & Amphionis; quos potuisse ferunt cantus sui iucunditate Sylvas & saxa ducere, fluminum rapidos cursus sistere, ventosque celeres continere: 2. Moenibus Hierichuntinis, quæ tempore ducis Israelitarum Josuæ, buccinarum sono disiecta, populo Dei liberum in civitatem aditum fecerunt. Animantia bruta diversimodè harmoniacis sonis capi, præter testimonium Horatii aliorumque, dicentium, Orphea etiam feras bestias suavi suâ melodiâ mansuetas reddidisse, testis est ipsa experientia. Novimus etenim urfos, delphinos, cervos, vitulos, oves, aves & cœtera, fistulis & Melodiis musicis mulceri: contrâ verò lupos & urfos horrissonis cornibus seu tubis ab armentis arceri: sic Xiphias quoq; pisces rostro quasi gladios præferentes, inter Siciliam & Scyllæum tractum in freto Mamertino, ad certorum verborum cantum, vel cætervatim convenire, & se piscatoribus capiendos præbere, vel penitus, pro verborum pronunciatione, aufugere. Homines musicorum instrumentorum concentu & vocibus harmoniacis moveri atq; delectari, neminem nisi cum Diogene in dolio latitantem latet. Olineas Pythagoreus, cum se irâ accendi intelligeret, lyram arreptam pulsavit, & interrogatus quare hoc faceret? παύομαι, Respondit. De Sirenum cantu etiam vulgus novit loqui. Adeo excellens sui

sui temporis tibicen fuisse perhibetur Canus, ut Apollonio quærenti respondere non dubitaret, quidquid vellent, musicâ suâ præstare posse, facturum ut moerenti à tibiâ moeror sopiatur, lætus verò seipso reddatur hilarior, & qui amat, calidior, & qui sacris addictus est, in Dei cultum & laudes fiat pronior.

Alexandrum M. refert Plutarchus, modulamine Antigenidis adeò incitatum fuisse, ut sono bellico illectus concussis armis, è mediis epulis prosiliens manus in adstantes intenderit, sed molliori cithararum sono ab armis ad epulas revocatum. Notatu etiam dignum est, quod scribit de Erico 2. Rege Daniae Nicolaus Caussinus, verbis sequentibus: *Apud Ericum, inquit, cognomine Bonum, Daniae Regem, Citharædus quidam haud ignobilis admirabilis & propè stupendos sua artis effectus commendabat, maximèque illud ipsum, quod in humanos sensus mentesque obtineret imperium. Rex verborum novitate percussus, qui neque tantam vim musica arbitraretur, continuo hominem artis specimen edere iubet, & torpentes animos ad furorem Martium, si posset, accendere. Annui ille, & nè qua nocendi ansa daretur, arma ex aulâ omnia effrui præcepit, custodesque in atrio collocari, quò furentes, si qui fortè in insaniam agerentur, compescerent. Dictum factam. Tum ille, quâ plurimum pollebat cantandi peritiâ, primum quidem inusitata severitatis concentum edidit, quo, stupore quodam & mœrore, omnium, quotquot aderant, auditorum mentes cernebantur oppressæ: Deinde adeò svaves & mellitos cantus effudit, ut totius iactatione corporis intemperantem proderent lætitiâ. Tandem verò ubi acrioribus modulis intonare cæpit, continuo totis testis fremere, tumultuari, arma & gladios inclamare. Nec mora, accurrunt custodes, ut Regem cum aliis furentem contineant. Sed ille effractis atrii foribus*

D

ribus, arrepto ense quatuor transfodit, & ut actus in rabiem taurus, totis bacchatur ædibus. Vix tandem, pulvinarium & lectulorum mole undique oppressus, contineri potuit. Postquam menti restitutus est, relicto procuratore Regni filio, Hierosolymam, expiandorum homicidiorum per pios cruciatus gratiâ, profectus est, atque in Cypro defunctus. Spiritus musicâ, vel evocari, vel abigi posse credunt multi, quod Citharâ suâ David Spiritum illum nequam, qui Regem Saulem exagitabat, abegisse, & manus Domini super Elisam, cum pulsaret Modulator, venisse dicatur. Eandem in morbos dominium suum exercere statuunt, & inter reliqua, quæ ad eorum sententiam fulciendam adduci possunt, non leve est, quod de tarantulâ, specie quâdam araneâ, apud Apuliam in Italiâ, referunt; ab eâ sc. morsu lethali lætos nullâ aliâ ratione, nisi tibicinis, Citharædi aut tympanistæ alicuius periti, modulamine vel pulsatione persanari, adque horum mitem concentum & sibi gratum sonum attollere oculos, sese in pedes recipere, paulatim primò, mox, pro modulo & pulsu sonorum, exultabundos ingredi, pristinxque valetudini restitui. Ex hisce & consimilibus exemplis pluribus, conantur quidam miros effectus Musicæ adscribere, sed quàm verè, altiùs rem pensantes videbunt. Verum quidem est, animantia non parùm tibiis vel aliis Musicis concentibus commoveri, præcipuè autem hominem, ob phantasie excellentiam, quam concentus musici conceptus suscitât, suscitaramq; in musicæ suavitatis admirationem rapit. Phantasia deinde potentias naturales in consensum advocat, & humores etque spiritus, pro suæ cognitionis & temperamentorum diversitate, diversimodè disponit. E contra discordantes, inconcin-

nos, sibi que ingratos percipiens sonos, tanquam malo quodam offensa, potentias naturales ad fugam impellit. Confiteor & hoc, modos Musicæ variè sese habere, juxta versiculos, qui eorundem nobis exhibent.

Nomen, proprietatem, Repercussionem, ordinem.

1. *Dorius est hilaris: Re la sonat: Ordine primus.*
2. *Re Fa mæstus amat Hypodorius: ipse secundus.*
3. *Austerus Phrygius: Mi Fa vult: Tertius iste.*
4. *Mi La blandisonat Hypophrygius: is tibi quartus,*
5. *Lydius est Asper: Fa Fa tribuit sibi quintus.*
6. *Fa La lenis habet Hypolydius, utpote sextus.*
7. *Septimus indignans: Re Sol Mi relydius edit,*
8. *Ut Fa dat placans Hypomix: Octavus habendus.*
9. *Re La Svariter Aelius canit: ille Novenus.*
10. *Tristis Hypaolius: Re fa notat: hic tibi Denuo.*
11. *Ut Sol undecimus Jucundus Jonicus effert.*
12. *Flebilis externus Fa Sol Hypojonicus addit.*

Nulli tamen horū existimo tantam esse tribuendam virtutem, ac Historia à Saxone Grammatico citata indigitare videtur; cum præsertim secula subsequētia nihil tale notaverint, quibus tamen in multis excolta est Musica, imò indies excolitur; nec ipse Citharædus inter furentes repertus fuerit. Oportet itaque ipsum, si historia vera est, magicis artibus præmunitum fuisse. Et, ut breviter ad reliqua, in hac quæstione adducta argumenta, responderi possit, prænotandum est, illorum alia Physicè, alia Ethicè, alia supernaturaliter, alia denique Magicè accipienda esse. Sic Ethicè sive moraliter Exemplum Orphei, non Thracis Argonautæ (quem Magum fuisse constat) sed Poëtæ, explicant quidam, dicendo, cum orationis suavitate rusticos & feros homines ad civilis obsequii disciplinam pellexisse,

non secus ac Amphion Thebanum, de quo sic canit
Poëta Horatius ad Pison. de Art. Poët.

*Dicitur & Amphion, Thebana Conditor arcis,
Saxa movere sono Testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.*

Indicans tantam fuisse hujus viri facundiam, ut homines
bestiis similes verbis posset redigere sub formam regiminis,
murosque Thebanos, saxis instructurum concurrentibus,
condere. Mœnia Hierichuntina, non sono buccinarum,
sed solo infiniti agentis concursu, corruisse, fateri necessum
habent omnes. Sonus etenim siue spiritus è tubâ exiens
dispergitur, dispersus hebescit, breviq; conquiescit; in ob-
iecta itaque proxima, si naturalis est, fortius quàm re-
mota operatur. Iam propiora, quàm muri Hierichuntini,
tubâ canentibus suorum fuere tentoria, arma & densissima
agmina, quæ tamen clangor tubæ postravisse non legitur.
Quod tradunt de Xiphiâ, non negant rerum naturalium pe-
riti, Physicè intelligi posse. notum enim est, pisces, cæ-
bruta reliqua, sensibus gaudere, proindeque cum audiant
verba, quibus se vocatos accepisse, beneficio phantasiæ &
memoriæ norunt, convenire ad capiendum pabulum,
tanquam bonum, ad quod omne animal instinctu natu-
rali fertur: hinc tamen non sequitur, verbis aliquam vim
naturalem esse attribuendam. Spiritus autem musicâ mo-
veri, nisi indirectè & per accidens, nullis potest probari
rationibus. certum quidem est, Dæmonem fugere Musicam,
quæ piâ devotione in ejus contemptu canitur; ut scribit Alar-
dus, Lutherum fecisse, cum haberentur Comitia Augustana,
& accederent in dormitorium ejus tempore nocturno mali
spiritus, ceu faces ardentes: venite, inquit ad circumstan-
tes, canamus in contemptum Diaboli! contra, cum man-
cipia

cipia ejus ad ipsius præscriptum canunt, ipsis appropinquat
& quæ sita per imagines ostendit: quemadmodum faciunt
Tympanistæ Lapponum, cum suo comitatu. At hæc non
sunt vi musicæ, sed respectu, vel cultus divini, vel Diabo-
lici. De Saule discrepantes Doctorum sunt sententiæ. Alii
dicunt, adeo eum obsessum fuisse, ut Damon eum interi-
us possederit. Alii verò existimant, Diabolum ei saltem
adhæsisse per pravam dispositionem Melancholici succi:
quod probant, 1. Medicorum consilio, 2. scripturæ Testimo-
nio, quæ dicit spiritum nequam venisse super Saulem;
3. exinde, quod retinuerit imperium usque ad extremum
halitum. Quænam harum vera sit, non est nostrum deter-
minare. Prior si vera, dico Diabolum nullo modo Citharæ
pulsatione fuisse fugatum, sed adfuisse potentiam super-
naturalem, per ardentis preces & hymnos, quos David sva-
vissimo Citharæ sono jungere novit. Si altera verò senten-
tia vera esset; fatendum est, Davidem regem suum ad sa-
nitatem, sed indirectè, revocasse, movendo sc. svavitate
lyræ phantasiam, quæ mota spiritus animales & vitales
ad concitatiorem motum erexit. hinc cordis dilatatio,
melancholici humoris Cerebrum turbantis dissipatio, &
sanitatis restitutio; destructo enim balneo Diaboli, impediti
sunt ejus conatus, donec Rex iterum turbatus melancho-
liâ abuteretur.

Elisa pulsatorem adhibuit, cum Deum de rerum
eventibus consuleret, ut vehementiores suos affectus hæc
ratione compesceret. Morborum sanationem quod at-
tinet, falsò adscribitur ea instrumentis musicis eorumve
pulsationi; si verò aliquando sentitur, ipsi tribuenda est
naturæ, quæ sibi relicta junctis viribus morborū insultibus
resistit, quidquid sibi noxium existimat, consumit, dissipat,

expellit, licet sæpiſſimè morbificæ cauſæ potentiore ſue-
cumbat. Detarantatorum per muſicam ſanatione, pauci
conveniunt. From: autem lib. 1. hunc in modum lo-
quitur: Nos, ſi in liberâ Republicâ liberè ſententiam di-
cere licet, dicemus phantaſiam Tarantati ab ideis vene-
ni Tarantulæ corruptam, & muſico modulamine ſuſcitam,
inferioribus facultatibus, præſertim motiva imperare, & ut ſecun-
dum ideas, motus determinatrices, morſu à tarantulâ impreſſas
agant, incitare, atque iterum muſicam non per ſe, ſed per accidens
curare.

QUÆSTIO IV.

*An Dæmon ſua mancipia per minutiffima foramina,
corporibus non proportionata, ad ſua conventicula
rapere poſſit?*

SAgas adeò à Satanâ comperimus ſcabinatas, ut exiſti-
ment ſe, perunctas certis quibusdam unguentis, extra
ædes ſuas ſcopis, baculis, furcis, pallis, hircis & ſimi-
libus inſidentet, per anguſtas rimas, vel caminos etiam
arctiſſimos abripi, & per aëra ad conventicula magorum
transferri: quod quàm verum ſit, videbimus. Non qui-
dem diſſimulandum eſt, Draconem infernalem, vel invi-
ſibiliter, vel in aſſumptâ hirci vel aliâ formâ, bajulatoris
officium poſſe præſtare, & ſua mancipia, permiſſu divino,
in longinqua loca tranſvehere; cum maniſteſſima ejus rei
inventantur exempla, à naturâ in totum non abhorreat,
& idem etiam poſſe angelos bonos certum ſit. Ut verò
per parietes, rimulas & anguſtiſſima foramina, corpora hu-
mana iuſtæ ſtaturæ & magnitudinis, illæſa & integra pe-
netrare poſſint, nequidem Satanus omnibus ſuis artibus
efficere poteſt; hoc etenim ſuperat vires naturæ, quomo-
do

docunque applicatas. In tali itaque casu procul dubio
præsens est mille fraudum artifex, qui ianuas, fenestras,
vel ipsos parietes, occultè aperit & claudit. Exemplum
ab eâ re non multùm abhorrens habemus in actis Apo-
stolorum de angelo bono, qui Petrum è carcere liberavit.
&, si tali gaudent potentiâ angeli boni, consimilem ange-
lis malis denegare non possumus, quæ non ad dona gra-
tiosa, quæ amiserunt, sed naturalia, quæ retinuerunt, pertinet.
Sed est & alius Dæmonis in miserum genus humanum
sævientis dolus, quo per quietem melancholicis imaginati-
ones prodigiolas insinuat, vetulis soporiferâ inunctione
delinitis somnia & varia Phantasmata obiicit, easque do-
mi alto somno oppressas adeo suis præstigiis decipit, ut ex-
istiment se per aëra volare, convivis Dæmonum inter-
esse & tripudia celebrare, imò persuadeant sibi, reverâ à
se designari, quod factum quidem constat, sed vel ab aliâ
naturali causâ, quæ postea deprehenditur, vel etiam ab alio
auctore. Et hic lusus Satanz est frequentissimus. Nota-
tu dignum est, quod adducit ex Johannis Baptistæ Portæ
Neopolitani lib. 2. Magiæ naturalis Godelmannus: Dum
hæc, inquit, pensculatius perquirendo operam navarem (incipiti
enim morabar iudicio) incidit mihi in manus vetula quadam
(quas à strigis, avis nocturna, similitudine, striges vocant, quæ
puerulorum sanguinem è cunis absorbent) sponte pollicita, brevis
mihi temporis spacio abaturam responsa: iubet omnes foras egredi,
qui mihi occidi erant testes, spoliisque nudata, tota se unguento
valdè perficuit, nobis è porta rimulis conspicua: sic soporifero-
rum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno. Flores ipsâ
patefacimus, multùm vapulat: tantaque vis soporis fuit, ut sen-
sum eriperet. Ad locum foras redimus. Iam medela vines sati-
scent, flaccescuntque. à somno servocata, multa incipit fari deliria,
se

se maria montesque transmeasse, falsa depromens responsa. Ne-
gamus, instat: livorem ostendimus, pertinaciter resistit magis.
Hinc, ni fallor, satis patet, & vanam sapius esse senten-
tiam dicentium, Diabolum sagas & Lapponum tympani-
stas, relictis in eorum loco corporibus phantasticis, ad
longè distitas regiones, ut convivia celebrent, vel rerum,
quæ ibi geruntur, certam cognitionem hauriant, per aëra
transportare; & nullam necessitatem nos cogere, tanta
deliramenta proferre, ut statuamus, corpus verum, visibile
& palpabile, quod domi jacet, phantasticū semper esse; contra
verò phantasticū, quod Dæmonin ficto lusu adhibet, verum,
multò itaque satius est, sobriè philosophantium sequi senten-
tiam, & dicere tales transportaciones, quas vocant, fieri
in Ecstasi, quæ Latinis dicitur excessus sive emotio mentis;
estq;, non iuxta Bodinum, animæ emigratio à corpore,
quia sic foret à privatione ad habitum naturalis regressus
sed est animæ sentientis, moventis & intelligentis, officio-
rum privatio, quæ virtus imaginatrix ab operibus dome-
sticis vacua, peregrina per species imaginativas sibi repræ-
sentata, & sublimiora, quàm pro captu sensuum, concipit
& tractat. Ecstasis hæc, præter illam, quæ naturalis dicitur,
alia est Divina, quæ Divini Spiritus ope mentem ab
omnibus sensibus & sensibilibus avertit, atque totam ad
rerum cælestiū & supernaturalium contemplationē impel-
lit: Alia Diabolica, quæ perversus ille Spiritus externorū &
internorum sensuum organa fascinat & ligat, vel obstru-
endo musculos, per quos spiritus sensitivi à cerebro ad sensus
exteriores permeant, cuius rei exemplum in hujusmodi som-
niantibus habemus; vel eosdem spiritus sensitivos, ab ex-
ternis sensibus ad interni sensus organa attractos, retinen-
do, nō ad externorum sensuum organa descendant. hinc
etiam

etiam adeo externorum sensuum munia impediuntur,
ut corpus vivum cadaveris & defuncti speciem præ se fe-
rat. Et hæc naturalis causa est raptus, eumque Dæmon
præstare potest. Denique nec hoc prætereundum est, im-
postorem illum infernalem innocentes sæpissimè in nu-
mero mancipiorum suorum representare. cujus rei te-
stimonium nobis præbet Godelmanus sequentibus verbis:
referam, inquit, historiam omnibus notam. Ariolus vel Pythius
quidam, cui hætenus iudex fidem apposuerat, ad eum pervenit,
dicebatque se adhuc unam maleficii ream indicaturum, nisi ini-
què ferret: prator annuit. à ejus uxorem etiam talem esse osten-
dit, ac nè quid hæc in re hæstaret, se id demonstraturum ostendit,
horamque præfigit, quâ eam reliquarum sagarum conventui & choreis
interesse, suis ipse maritus testaretur oculis. Consensus iudex
vel prator. Qui statuta horâ, quosdam amicos & consanguineos
in eadem mensâ secum & cum conjugè voluit, suppressâ interim
convocata societatis causâ. Hinc designatâ ab ariolo horâ, men-
sâ surgit, iubetque omnes simul cum uxore permanere, nec prius
loco dimoveri, quàm ipse rediret. Deductus porro ab ariolo, quò
is voluit, Lamiarum Cætum, Choreas & nescio quas, alias volu-
ptatum illecebras, quibus ipsius intererat conjux, reliquarum delicias
sectata, non obscure videbatur spectare. Mox domum reversus,
amicos vocatos eo, quo reliquerat, ordine, unâ cum suâ uxore,
latos mensa assidere comperit. Et cum studiosè, num stationem de-
seruisset conjux, percunctaretur: eam eidem affixam fuisse loco
in ejus absentia, uno ab omnibus affirmabatur ore: itaque rem
omnem aperuit prator, ob inflictam innocentibus pœnam serò pœ-
nitundine ductus, Pythium accusatorem morte multabat. Hortor
itaque iudices, nè ejusmodi somniis & illusionibus credant, fidemq̃
adhibeant. Quod s; evidenter constet & probari possit, ejusmo-
di lamiarum bajulationes naturaliter fieri potuisse & factas esse,
hic

*hęc nihil impedit fidem adhibere. Hęc, ratione instituti, suffi-
cere possunt.*

Quod reliquum est, Deum T. O. M. supplicibus
veneramus precibus, nos, in sui nominis gloriam, abdita &
mysteria naturę ita contemplari doceat, ut incorruptum
ipsius verbum retinentes, superstitiones & fraudes Diaboli
fugere sciamus! Gloria Patri, filio & Spiritui sancto,
qui laudandus est Deus in perpetua
secula!

ADDITAMENTA.

Diabolus futura contingentia certò pręscire non potest.

*Astrologus non discedens à principis universalibus multa præ-
dicere novit.*

*Physiognomica, consistens intra cancellos naturalis Philosophia,
licita est.*

*Somnia naturalia, quadam eventū pręnunciant verum, quadam
illusorium vel nullum. Hinc debilis ex iis conjectatio.*

IN

Virum Doctrina & Vita elegantia pereximium,

DN. NICOLAUM FORZELIUM,

De TYPANIS MAGICIS Lapponum doctrinam accuratamq;
disquisitione disputantem,

Hendecasyllabum.

L Arvam qui pietatis atque recti
Circumdat sibi, sævus hospes orci,
Haud uno laqueoprehendit artis
Mentes insipidas, mali tenaces,
Porro in stulticiam subinde pronas,
Demumque in Stygias aquas ruentes,
Nunc postquam Satanam ducem sequuntur.

Ve-

Verūm, vel rabido locutus ore
Illos inficit, abstrahitque celo;
Vel pacto illicito ligat ministros,
Quos novit sceleratoris astus,
Atque ad crimina pertinacioris,
Ut diræ capiant tenore legis,
Cui servos dederint, nociva tela
Inferni sibi cæterisque, tandem
Incautosque necem suam ferentes.
Sunt concordia Lapponum instituta
Huic arti Satana, sonoque bruto,
Quinimò ecstático parique morti
Sensus deliquio, remotiorum
Rerum notitias ut aucupentur,
Vasro tympana more vel terentium.
Nec diris modò legibus gehenna
Constringit stupidum furore vulgum,
Dum quæ victima cui placet Deastro
Indagant, stolidi & secunda scire
Atque adversa parant per omne tempus;
Sed defendere eam, pari furore,
Artem ceu licitam, utilem ac honestam,
Audeat, impietatis haud feracem.
FORSBLLI, referes id hinc brabéum,
Infanos utriusque quòd furoris
Conatus vegeta simul refellis
Vi mentis, redigisque cuncta certam
Concinnè in methodum, peritus artis.
Cæli sceptriger ut dedit Monarcha
Mentem compositam Tibi & quietam;
Sic Ecclesia præmioque honoris
Mactabit, Deus inseretque Olympo.

Deproperavit

PETRUS LAURBECCHIUS
Poëtos Prof. Ordinarius.

Quod Schola Magorum in patriâ charissimâ orcinum pruritum
prioritaveris, multa quæ cælum, quæ terra complexu suo fo-
vet, in Execrabiles impiissimi servitii abusus raptaveris; & quod
precipui ex illis insani illius Magisterii artificibus, veluti ex Apol-
linis Tartarei tripode, de omnium cujuscunque conditionis hominum
fortunis & vitæ mutationibus cum stupore oracula pronunciaverint;
tacitâ pietate deploro vel conqueror magis, quàm admiror. siquidem
Lucifer dudû iactita verit, se montem conscensurum ad plagam Aequi-
lonis, ac similem Altissimo futurû: Undè forte, sicut à sole & benignitate
clarissimi luminis magis est remotus Boreas, creditum est quondam, illic
inter immundissimas abominabilesquè tenebras, Daemonum Legiones
stabulari, ibidem omnis infelicitatis officinam esse, Thulen ultimam,
vastum immemorabilem miseriarum barathrum. Verùm dum Spi-
ritus Dei in terrâ nostrâ requievit, & visitavit nos Oriens ex alto,
ac lumen Evangelii in Sveciâ divinitus est exortum, & eam splen-
dore suo complevit; radiis gratiosissimis emortua, & ex glaciali pa-
gana superstitionis brunnâ serpentiâ & rigentiâ peccata, etiam in re-
motissimis regionibus, mirâ virtute nunc excitavit, ut nemo qui-
dem, qui Deum reveretur, & Regibus honorem exhibet, audeat
tympanum adhibere, ad sonum ejus dicere, vel incantamentis carmi-
num uti, minùs multò Thoroni vel Magnò junckero, misellis idolis, so-
lennes epulas instituere, &c: sicut eleganter & eruditè, mi Forzelio
in positionibus ac Questionibus hisce Tuis disseris, & evincis satis
superque, olim barbarorum maximè majorum posteros nunc esse
saniores, & pueros nasum Rhinocerotis habere. Undè elegantiam
Tuam laudo, licet capillum in varios gyros non frangas, ad muli-
ebrem risum vultum nunquam componas, nec ad cæteras blanditias
vocem unquam extenuas: Cultiozem ornatum illum virilem eti-
am Tuum probo, quamvis non in contumeliam Natura, adoptivâ
comâ, adscitâ undique pompâ, vestium vel tormento, vel tormento,

membrorum gratiam corrumpere velis. Modestiam extollo Tuam,
 etiamsi ad numerum nec eas, nec sabas, nec garras, nec cures in amico
 salutando, pronâ cervicè & vestigiis verrentibus terram, sinistra ti-
 bia illius integumentum infra genu timidissimâ manu libare: sed
 studium indefessum profunda rerum divinarum & humanarum
 contemplationis, & curiosam latentium reconditarumque in naturâ
 potestatum indaginem Tibi maximè gratulor, certus, vera Magia
 ministerio inferiorum dotibus copulando, & artem ad Na-
 tura commercium flectendo, Te illum satis citò, imò benè futu-
 rum, quem Te cupit patria, qualem ornabit hæc Academia Regia,
 publicè semper pronuncians, Ab Aquilone Congregavi eos: ac ego
 predicere non dubitavi, Deo qui Te nunquam non commendo, &
 nisi vernaculam spernas, Epigramma sequens addo.

H Ur Lappar vär i miugg / medh Troll-allas Bedriffet/
 Hållt fordom Heden-tiidh / blottat Belåten mång!
 Å Steen och Grenar trodt / och offerat mången gång
 Den fule Klampen Thor / sin Juncker stoor i Kliffet/
 Och fiere Scrubbar sinâ : Tu låsa må the Striffet (prång
 N J S & A X S O M gifver oss / som wiser medh hwad
 Diefwulens listigheet haar Snaror tuder lång
 Dem Stacksars förefatt / som bode i Tidall och Griffet.
 Ty kunna spä vhr Hand / och Plåneten vthrynda/
 Å gifwa Wind och Vör / och färran Skadan bota/
 Sampt gissa wist förvth / hwad som i Långden hånder:
 Wil ändrlig kostä meer / än liggia neer och lyda
 Tu blinda Trummeslagh : Godh låsar / hielp vthrota
 Slijt Deroo / skal och tu Verdin få hwart tu ländet.

Hvilken Kling Dicht til den gunstige Läsaren
 öfwer Edere / Her N J S FORZELL,
 här widh den Kongl. Acad. för denne gån-
 gen aflagde gode Proff om Spårumman /
 hastigt sammansatte
 GABRIEL WALLENIIUS,
 Reg. Acad. Ab. Biblioth.

Non uauum eundemq; auceps in captandis auibz seruat modum, sed eas nunc fistulæ dulci modulamine allicit in caveas, nunc bombardâ globulis plumbeis atque pulvere tormentario oneratâ petit, nunc laqueis & retibus intricatas capit, &, quas magnum sibi fructum & oblectamentum allaturas noverit, mansuetas reddit, variisque artibus instruit, imò quamque, prout cuiusq; consuetudinem & indolem sibi cognitam habet, aggreditur. Consimili modo infernalis auceps mille novit rationes, quibus homines, quos omnes deperditos discupit, decipit: omnium scrutatur consuetudines, ventilat curas, considerat affectus, & ibi quærit nocendi causas, ubi quemque viderit studiosius occupari. Domestica etiam habet mancipia, quæ, quos ipse non potest, seducant. Horum vanitatem in apricum trahere non minimus est labor, neque inutilis, ut sciant omnes sibi à talium fraude præcavere, & leonem, ut ajunt, ex ungvibus cognoscere. Ungves horum & stratagemata etiam tu, *Præceptor charissime*, Disputatione hæc denudare laboras: quare meritò tibi gratulor felices studiorum tuorum progressus! qui ut vergant in Divini nominis gloriam, Reipublicæ utilitatem, Ecclesiæ ædificationem, solatium Parentum, proprium tuum commodum, unicè & devotè precor

JOACHIMUS Sefing.

Cum, videam, mi Præceptor, sub finem Disputationis tuae aliquantulum spacii relictum esse, satius duxi, quam occasionem mihi datam è manibus dimittere, paucis quibusdam lineis, licet rudi minervâ, album implere, Tibique cursam studiorum gratulari. Imò tibi verè gratulor profectus, quos hæc tuâ Disputatione ostendis: nihil reliquum habens, quam ut piissimas ad Deum preces addam, velit Te, qui cœpisti arduam virtutis & eruditionis viam ingredi, ad sacrarium temporarii honoris ducere, denique post visæ hujus peritura fata ad æterna felicitatis palatium recipere!

His paucissimis Præceptorem suum, de Tympanis Magicis Disputantem, honorare voluit

BARTOLDUS Sefing. J.